

21

~~21~~ 22

COMMENTATIO THEOLOGICA
DE
CHRISTO INFANTE
PATRE
ÆTERNITATIS
ad Esai. IX. 6.

QVAM
PRÆSIDE
IO. FRIDERICO COTTA

S. THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD. ECCLES.
TUBING. DECANO ATQUE DVCALIS SEMINARII THEOL.

SVPERINTENDENTE
D. DECEMBER. MDCCCLXIII.
PVBLICE DEFENDENT


M. IO. GEORG. HÆRLIN, *Hechingensis*,
M. IO. FRID. ENSLIN, *Stuttgard.*

S. THEOL. CVLTORES SERENISS. STIPENDIARII ATQVE
EXAMINIS THEOLOG. CANDIDATI.

T V B I N G Æ
LITERIS COTTÆ ET REVSI.

5 14

RICHTIGE QUITATZIMUS



Q. D. B. V.

§. I.

 Adpropinquat iam auspicata illa , & lœta , & beata dies , qua nativitatis IESV CHRISTI , servatoris nostri plane incomparabilis , memoriam pia devotaque mente recolit celebratque universus christianorum cœtus . Quæ ipsa cogitatio ubi mentem nostram iam subit , consultum omnino ducimus , de eiusmodi argumento in rerum præsentia brevem instituere tractationem , quod gloriam infantis Iesu , qui in gloriis in stabulo olim natus est , lectoribus nostris ob oculos ponere , eorumque animos sancta quadam admiratione perfundere queat . Differemus eum in finem de Christo infante , patre aeternitatis (1) . Illustri enim hocce nomine venturum Messiam , ex virginе natum

A 2

de-

(1) Diximus quidem nonnulla de hocce argomento in oratione sacra , in vigiliis nativitatis dominicæ ann. MDCCLX. in se-naculo academico recitata , sed uberiorem eius pertractationem peculiari commentationi tum temporis reservavimus .

DE CHRISTO INFANTE

descripsit Esaias , veteris testamenti evangelista , cap. IX.
vers. 6. ubi , de nativitate eius verba faciens , eum di-
fertis verbis vocat יְהוָה , patrem aeternum , sive aeterni-
tatis . Ita quippe loco cit . vir entheus insit : *Infans na-
tus est nobis , et filius datus est nobis , qui humeris suis
principatum gerit , et nomine adpellabitur admirabilis , con-
filiarius , Deus fortis , PATER AETERNITATIS , prin-
ceps pacis .*

§. II.

Dudum observarunt disciplinæ sanctioris doctores ,
D E V M T. O. M. omnium optime ex nominibus suis , qui-
bus in sanctioribus litteris insignitur , cognosci posse , si-
quidem nomina ista , ab ipsomet Deo revelata , eiusdem
naturam , summasque , quibus effulget , perfectiones
significant , easdemque egregie prorsus exprimant .
Idem , quod de Deo dici alias solet , de Messia quoque ,
I E S V C H R I S T O , filio Dei unigenito , in secula bene-
dicto , pariter vere pronunciari potest atque debet .
Vnde tam varia eius in scriptura divinitus revelata tam
veteris , quam novi testamenti , ac speciatim in oraculo
Esaiano , quod modo recitavimus , nomina inveniuntur ,
eaque non tantum iucunda solatiique plena , sed & sub-
inde prorsus magnifica , quibus gloria Christi infantis
vivis quasi coloribus depingitur nobisque ob oculos po-
nitur . Ex hisce itaque nominibus unicum , & quidem
illud , quo servator noster recens natus *pater aeternita-
tis* adpellatur , in dissertatione hac academica expende-
mus . Faxit Deus T. O. M. ut hoc institutum nostrum
cedat in gloriam infantis nobis nati , servatoris nostri
prorsus eximii , nostramque ædificationem eandemque
amplissimam !

§. III.

PATRE & TERNITATIS.

§. III.

Antequam vero illustre patris aeternitatis nomen data opera explicemus, & quanam ratione illud infantulo Iesu competit, pro instituti nostri ratione comonstremus, omnino necessarium esse ducimus, ut paucis ostendamus, præstantissimum illud Esaiæ oraculum, in quo magnificum hocce nomen deprehenditur, non de alio subiecto, quam de Christo infante agere. Equidem antiquissimi gentis iudaicæ magistri unanihi clime consensu statuerunt, quod singula nomina, ab Esaiate commemorata, Messia optime convenient, atque de eo solo sint intelligenda. Luculentum huius rei testimonium nobis suppeditat **RONATHAN**, paraphrastes chaldaeus isque antiquissimus, qui in παραφράσει huius loci eundem de Messia, filio Davidis, disertis verbis interpretatus est (2), atque hac ipsa ratione certiores

(2) Ita enim habet paraphrasis eius chaldaica : אמר נב'יא לבי'ת ר' א'תיל'ר לנו בר א'תיח'ב לנו ו'ק'ב'ל ע'לו'ה או'רו'ה ל'ט'ר'ה א'ו'תך' ס'מ'יה מ'ן ק'ר'ס מ'ל' ע'ז' אל'תא ג'בר'א ק'י'ס ע'ל'מ'א' מ'ש'ר'ה ד'ש'ל'ה ס'ג'נ'א ע'ל'נ'א ב'יו'ו'ה Dixit propheta domui David, quia infans natus est nobis, & suscipiet super se legem ad servandam eam, & vocabitur nomen eius ab ante mirabili confilio, Deus, fortis, permanens in secula seculorum, MESSIAS, in cuius diebus pax multiplicabitur super nos. Quando paraphrastes aeternitatem Christo adserit, aitque : Et vocabitur nomen eius AB ANTE, respexisse videtur ad psalm. LXXII. 17. ubi de Messia praedicitur, fore nomen eius IN SEMPER NVM. Cæterum, præter interpretem chaldaeum, alii quoque ebraeorum magistri, veluti SIMEON IOCHAIDES in Johar, MAIMONIDES, R. EPHRAIIM, pluresque alii oraculum hoc de Messia interpretati sunt; prout ostendit ALLIXIVS in iudicio ecclie. antig. iud. advers. Vuitarios, p. 35.

res nos reddidit, veterem ecclesiam iudaicam de Messia
divinitate nequaquam dubitasse. Verum in alia omnia heic
abeunt recentiores iudæorum doctores, qui ut in aliis, ita
in hoc quoque arguento a maiorum suorum doctrina
quam longissime discedunt, atque tum alia veteris te-
stamenti loca, quæ de Messia agunt, tum vel maxime
oraculum nostrum Esaiatum commentitiis suis exposi-
tionibus misere corrumpunt, licet non una eademque
id faciant ratione. Nonnulli enim totam hancce præ-
dictionem Ezechiae, vel Hiskiae, uti alias dicitur, Acha-
zi filio, tribuere, ac singula, quæ heic leguntur, no-
mina eidem adcommode haud dubitant; quos suo iam
ævo solide confutavit HIERONYMVS, monachus pa-
læstinus, qui seculo quarto multis meritis rem sibi chri-
stianam devinxit. Alii contra ex iudæorum magistris,
R. SALOMONEM IARCHIVM (3) secuti, priora, quæ
apud Esaiam leguntur nomina, ipsi Deo tribuunt, ult-
imum vero Ezechiæ, ut hic oraculi nostri sensus emer-
gat: *Et Deus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pa-
ter aeternus vocavit nomen Ezechiae principem pacis.* Vix
seria refutatione dignas censemus hasce interpretum iu-
daicorum expositiones. Ecquis enim est, qui non mox
perspiciat, misere hac ratione torqueri verba vatis, di-

(3) IARCHIO tamen viam heic præivit HILLEL, qui pri-
mus inter Iudeos negavit, Christo nomina hæc, quæ ab
Esia commemorantur, tribuenda esse. Præcipuum vero
argumentum, quo Iudei evincere volunt, Iesum a prophe-
ta in hocce oraculo non designari, hoc est, quoniam is
nunquam fuerit adpellatus admirabilis, consiliarius &c. Ast
facile dilui potest hæc obiectio, si observemus, apud Ebraeos
νωναντικανοναnan

PATRE ÆTERNITATIS.

7

versosque casus nominibus pro lubitu adsingi, alias *nominandi*, alias *adcyandi*, quorum in textu originali cbræo nulla deprehenditur distinctio? Accedit, quod omnia hæc nomina honorumque titulos ad unam eandemque personam referri debere, ipsa textus originalis inspectio quemvis facile edocere queat. Quod si vero ad unam eandemque personam referenda sunt omnia ista epitheta, quæ heic adduxit vates, dici profecto apud poterit, regem *Hiskiam* iisdem designari. Sunt enim ex iis nonnulla, quæ divinam arguunt naturam, neque ulli regum mortalium convenient, neque adeo ad *Hiskiam* transferri possunt, sed de solo **MESSIA**, qui & filius Davidis, & simul unigenitus Dei filius est, sunt exponenda.

§. IV.

Mirum profnde haud immerito videri debet, preter iudeos alios quoque fuisse, qui gravissimum hocce oraculum Esianum optimo servatori Iesu Christo nobisque nefando ausu eripere, idque ad regem *Hiskiam* referre haud dubitaverint. Eminet inter istos, qui hoc fecerunt, **HVGO GROTIVS**, doctissimus alis acerrimique vir ingenii, cui ex recentissimis scriptis **SAMELEM PARVISH**, deistam Anglum, coniungimus. Et ad **GROTIVM** quidem quod attinet, in tractando verbo propheticō iudaicæ gentis doct̄res utplurimum secutus est, eorumque & heic vestigi pressit. Exstimat nimirum, si in illustri hocce vaticino ipsam literam spectemus, non aliud, quam *Hiskum* heic intellegent.

cari subinde idem significare quod *esse*, cl. *Esai. VII. 14.*
LXIII. 4. Ier. XXIII. 6.

ligendum esse, qui patri Achaz. multam fuerit dissimilis; licet excellenter modo haec ad Messiam pertinere, et christiani, et chaldaeus agnoscant (1). Sed graviter errare GROTIUM, quando Hiskiam nativi sensus obiectum constituit, atque sensu tantum mystico oraculum hoc ad Messiam transferri posse contendit, vel ex eo facile intelligitur, quoniam vaticinium hocce, ut modo ostendimus, non de duobus subiectis, sed unice de CHRISTO explicari potest ac debet. Copiosius hoc comprobatum dederunt praestantissimi sacrarum litterarum interpres, cum primis ABRAHAMVS CALOVIVS atque CAMPATEGIVS VITRINGA (2), quorum scrinia iam non expilabimus. Nec immorabitur refutandis iis, quibus PARVISHIVS sententiae eorum, qui oraculum iostrum de solo Hiskia exponunt, speciem quandam conciliare annis est. Oppido enim is fallitur, quando iter alia obtendit, nomina ista magnifica, que hec occurunt, non secundum litteram esse accipienda, si qualem in promissionibus domui Davidis olim factis raula deprehendantur locutiones hyperbolicae (3). Certe contrarium facili negotio ad oculum demonstrari potest. Fallitur quoque in eo, quando existimat, ipsam urbem Eerosolymam Ier. XXIII. 5, 6. adpellari iustitiam nostram, licet hocce nomine nunquam fuerit insinuata. Nque enim de urbe, sed de germine Davidis, h. e. de Christo, ex Davidis familia nascituro, dicitur: vocabitur Ierusalim, iustitia nostra.

(1) Vid. GROTIUS comment. ad Esai. IX. 6.

(2) Vid. CAOVIVS in bibliis illustratis, tom. II. p. 62. atque VITRINGAM in comment. ad h. l.

(3) Vid. eius inquiry in to the Jewish and christian revelation, p. 202.

§. V.

Hicce præmissis ad id propius iam accedimus, quod præcipuum dissertationis nostræ argumentum constituit. Scilicet quum inter augusta nomina, quæ in vaticinio Elaiano infantulo Iesu adscribuntur, illud cum primis emineat, quod is *pater aeternitatis* adpellatur, in illius sensum curatus iam nobis erit inquirendum. Quum vero duo in magnifico hocce elogio de Christo infante prædicentur, quorum alterum ad ipsius *paternitatem*, alterum vero ad eiusdem *aeternitatem* spectat, de utroque, pro instituti nostri ratione, pauca dicemus.

§. VI.

Quod primo ad *patris* nomen attinet, notamus generationem, nomen hocce, vi nativæ relationis, esse titulum honoris & *πατρὸς* supra alios, atque inde ipsam DEI, ut *patris*, compellationem suam traxisse originem. Constat, ipsos gentilium Deos *patres* fuisse adpellatos. Est enim religionis nomen, diis omnibus commune, ut SERVIVS auctor est. Præcipue vero Iupiter, quem reliquis diis superiori crediderunt falsorum numinum cultores, hocce honoris titulo olim fuit ornatus, prout ex HOMERO, HESIODO, aliisque scriptoribus faciliter comprobari potest negotio (1). Quod si ad usum huius vocis apud scriptores sacros attendamus, duplice ratione eandem de vero atque æterno DEO usurpari deprehendimus, nimirum vel *essentialiter*, ut in scholis

B loquun-

(1) Quod ad HESIODVM attinet, is Iovem adpellavit
deorum patrem atque hominum.

Vid. eius *theogon. v. 453. seqq. p. m. 77.*

loquuntur, vel *personaliter*. Priori modo omnes tres personæ divinæ hac voce connotantur; posteriori autem nomen *patris* proprium est *primæ divinitatis personæ*, atque respectum infert ad filium, quem ex essentia sua genuit.

§. VII.

Illud quoque nemini, qui doctrinam sanctiorem primis duntaxat, quod aiunt, labris degustavit, facile potest esse ignotum, singulas sacro sanctæ trinitatis personas, quæ unam eandemque numero essentiam indivisim possident, habere aliquid peculiare, quo a se invicem distinguantur. *Primæ personæ proprium* est *to gignere*, unde eidem *Patris* nomen in paginis sacris tribuitur. *Secundæ personæ* adscribitur *to generari*, unde *Filiī* nomine in divinis litteris insignitur. *Tertiae character* est *to procedere* ab utraque persona, Patre nimurum *Filioque*; quo quidem vocabulo essentiae divinæ, qua *Spiritus S. gaudet*, communicatio innuitur. Quæ cum ita sint, videri fortassis posset, *primæ personæ*, quæ *patris* nomine venit, derogari aliquid, quod ipsi proprium est, quando *paternitas F I L I O* adscribitur; quin videri posset, hac ipsa ratione *ordinem personarum* in divinis, in ipsa sacra scriptura manifestatum, penitus subverti, siquidem prima persona, *patris* nomine insignita, alium patrem sibi coëssentialē habere dicenda foret.

§. VIII.

Verum absit, & per omnem modum absit, ut in ente summe perfecto mutationem vel vicissitudinem quandam statuamus. *Iehovah enim semper idem est*, neque

neque in eo illa est mutatio, aut illa conversionis umbra, secundum oracula scripturæ, *psalmi. CII. 28. Iac. I. 17.* Quando itaque **FILIO**, ad ductum sanctioris scriptura paternitas adscribitur, id non ita accipi debet, ac si Filius eadem ratione, qua prima persona, *pater* esset. Prima enim persona **SOLA**, modo *intrinseco*, sive *ex se*, ut vocibus in theologorum scholis usitatis utamur, hoc est, intra complexum deitatis **PATER** dicitur, & revera est, siquidem Filium modo ineffabili generavit ab æterno, *psalm. II. 7.* Vnde & toties in litteris divinis pater domini nostri Iesu Christi adpellatur, *1. Cor. I. 3. 2. Cor. XI. 31. Eph. III. 14.* Quando autem unigenito atque æterno æterni Patris Filio in sacris paginae *paternitas* subinde tribuitur, non alia intelligitur, quam *externa, respectu* scilicet *nostri*; siquidem Filius iste Patris cœlestis adfectum vere paternum erga nos gerit, eundemque ipso facto atque admiranda prorsus ratione demonstravit, quin eundem in æternum non mutabit.

§. IX.

Evidem & prima deitatis persona, in ordine *ad nos*, patris nomine in sanctioribus litteris insignitur, & quidem *omnorumque*, & respectu *creationis* huius universi. *Ipse* enim *omnibus vitam, flatum, omnia denique confert, Act. XVII. 25.* Graviter hoc urget Malachias, quando ait: *nonne pater omnium nobis est? nonne Deus fortis unicus creavit nos?* *Mal. II. 10. psalm. CXXXIX. 14. seqq.* Constat quoque, creationem pertinere ad opera Dei *ad extra*, quæ sunt indivisa, omnibusque in deitate personis, ad eoque & **FILIO DEI**, ex æquo competunt. Verum

licet hoc quoque respectu Filius Dei *patris* nomine iure
meritoque adpellari queat, siquidem per eum condita
sunt omnia, tum quae in coelis, tum quae in terra sunt:
tum adspectabilia, tum inadspectabilia, Coloff. I. 16. coll. Ioan.
I. 3. & Eph. III. 9. alia tamen ratione, eaque longe sub-
limiori ac plane singulari *patris* nomen eidem in verbo
divino tribuitur, nimirum propter admirabilem generis
humani **REDEMPTIONEM**, quam is sponte, atque ex in-
effabili erga nos amore, in **æterno pacis consilio**, in se
suscepit, atque definito tempore, carne humana indu-
tus, modo consummavit longe perfectissimo.

§. X.

Non abs re fore arbitramur, si admirandum hoc
redemptionis opus, quod *fundamentum est paternitatis in*
CHRISTO, **æterno patris filio**, paullo curatius heic
edifferamus, atque hac ratione argumento gravissimo
lucem quandam adfundamus. Nemo christianorum
est, qui ignoret, hominem, creaturam nobilissimam
atque ad imaginem Dei conditam, per peccatum pri-
morum nostrorum parentum, in statum longe miser-
rimum detrusum, quin infernalis genii mancipium redi-
ditum esse. Excidit enim homo non solum vita san-
ctissimi Dei felicissima beatissimaque, sed & insuper se-
metipsum in mortem **æternam præcipitem egit**, ex qua
nulla prorsus se extricare potest ratione. Ne itaque in
æternum periret homo, ab alio, & quidem eo, qui in-
finita prædictus esset virtute, fuit liberandus. Id quod
CHRISTVS, unigenitus Dei filius, infinita virtute in-
structus, in **æterno pacis consilio**, inter Deum patrem
&

& filium inito (1), non tantum in se suscepit, sed & præstituto tempore revera præstítit, dum humanam sibi copulavit naturam, inque ea infinitum pro peccatis hominum λυτρόν solvens, gratiam divinam iis impetravit, eosdemque faucibus diaboli erectos vitæ restituit. Iustum vero et æquum erat, ut tanti laboris præmium reportaret Christus, incomparabilis ille generis huiani redemptor. Hinc præmium in æterno pacis consilio ipsi promiserat Pater, idque in eo consistebat, quod non tantum peccata hominum velit remittere, vitamque iis largiri sempiternam; sed quod insimul nomen super omne nomen Filio, perfectum obsequium præstíturo, conferre, omnesque redemtos tanto redemptori in FILIOS dare, ac vicissim Deum filium REDEMOTORVM PATREM constitutere velit. Hoc Pater, mentiri nescius, cum Filium intensissimo profequatur adfectu, vi pæcti, huic denegare nec potuit, nec voluit, quin potius ipsum, peracto feliciter redemtionis negotio, super omnia exaltavit, Phil. II. 9. ipsique omnes redemtos in peculium dedit, psalm. II. 8. 2. Thess. II. 14. Tit. II. 14. 1. Petr. II. 9. ut eorum dominus legitimus, rex, caput & pater esset; illi autem ipsius subditi, membra, semen benedictum & filii evaderent.

B 3

§. XI.

(1) De hoc pacto Dei patris & filii copiose differit HERMANVS WITSIVS, in *œconomia fœderum Dei*, libr. II. cap. II. Idem naturam huius pacti inter patrem & filium fusim explicat, loc. cit. cap. III. Iungi vero meretur b. cancell. TAEGERVS, tum in *system. theol.* libr. I. p. 442. seqq. tum vero in *peculiari dissertatione de pacto inter Deum patrem & filium*, quaæ Tubing. MDCCXIII. prodidit.

§. XI.

Ad hocce præmium filio Dei promissum passim respiciunt sacra veteris testamenti oracula. Pertinet huc cumprimis illustre Esaïæ vaticinium, quod *cap. LIII. conun. 10.* exstat, hisque conceptum est verbis: *si (Mef-sias) animam suam exposuerit piaculo, adipiscetur semen spirituale, psalm. XXII. 31. coll. psalm. CX. 3.* hoc est, *sobolem credentium e iudæis & gentilibus, eandemque numerosissimam.* Hæc itaque est pars, a Iehovah filio suo data, hæc est *praeda illa, quam retulit Filius, ubi fortes & validi populi e potestate satanæ liberati, ipsi cesserunt in spolia & haereditatem, sibi a patre destinatam, eo quod profudit animam suam ad mortem, vers. 12* (2). Nec incongruum erit, heic adlegare aliud Esaïæ oraculum, quod *cap. VIII. vers. 18.* legitur. Ibi enim Mef-sias graphicè loquens introducitur: *Ecce me, ♂ natos, seu filios meos, quos mihi Iehovah dedit, h. e. quos illuminavit pater coelestis salutari mea agnitione, quos mihi dedit, vi paeti cum ipso initi, quos ego pretioso sanguine meo redemi, & per Spiritum meum sanctificavi, quosque ego non fraterno tantum, sed paterno etiam adfectu complector.* Adlegat huncce locum eundemque de Christo exponit auctor epistolæ ad Ebræos *cap. II. vers. 13.* ubi & ostendit, per *natos, five filios,* non tantum denotari eos, qui carnis & sanguinis sunt participes, sed & eos cumprimis, qui a Christo redemptore liberati sunt a metu mortis.

(2) Conferri heic velim, quæ de oraculo hocce Esaiano adnotavit *STARKIUS, in notis selectis ad loca dubia prophetarum p. 88.* ubi verba vatis ita vertit: *Darum will ich ihm mit-*

§. XII.

Aduingimus hisce locis, ex prophetiis Esaiæ desumatis, alium, eundemque non minus illustrem, quem propheta Ieremias nobis suppeditat cap. XXXI. 9 & 11. Ibi enim Iehovah, & quidem æternus Dei filius (1), seme*tiplū* Israëlis P A T R E M vocat, qui redemiturus sit Iacobum e manu potentioris, quam est ipse, h. e. e potestate infernalis genii omniumque hostium spiri-

mittheilen von den vielen (erworbenen Seelen) und er wird mit denen zahlreichen (Glaubigen) den Raub theilen (sie seines Sieges und Verdienstes theilhaftig machen.)

- (1) Vocem Iehovah in hocce oraculo de filio Dei, Christo nimirum, accipienda esse, ex circumstantiis textus luculentè potest comprobari. Nam 1) commate 7. orare iubetur populus Dei: *υρων σέρβα, Iεχονά, τοῦμ ποπύλον, Ισραήλιταρων ρελιγίας.* Iam vero nemo facile negaverit, verbum ebraicum *υρων* primario ac singulare prorsus ratione Christi convenire. 2) commate 9, 10. tributur Iehova *cura paſθratis*, quæ Christo propria est. Quemadmodum enim pator gregem suum in graminosis pasuis stabulat, eundemque obseruat, atque tuerit; ita Christus, se ipso teste, *οαν. X. 11.* est *ο ποιμην ο καλος*, cum singulare quadam emphasi, pator ille bonus, sub hoc schemate a prophœti promissus, *psalm. XXIII. 1. Esai. XL. 11. Ezeth. XXXIV. 12. XXXVII. 24. Zach. XIII. 7.* qui id curæ adique habet, ut gregi suo bene sit optimaque singulis ovis pubula praebantur, qui & easdem potenter protegit, iau *nemo eas e manu ipsius eripere queat*, *Ioann. X. 28.* 3) comm. 11. Iehovah *Iacobum redemiturus et vindicaturus* dicitur, in sui peculium, e manu fortioris pre illo. Ian vero filius Dei, secundum ordinem personarumconomium, redemptiōis opus in se suscepit, & *λαν Israëlis* est, qu *ortem etiam ar-*

spiritualium, cundemque in sui *peculum* sit vindicaturus. Atquæ ex his aliisque sacræ scripturæ oraculis, quæ heic cumulare nolumus, opera haud diffcili colligi potest, fundamentum *paternitatis Christi* esse opus *REDEMPTIONIS*, ad quod peragendum ipsem̄ servilem formam, obumbrata divinitatis suæ maiestate, suscepit. Vnde & amabile *PATRIS* nomen cum augusto *REDEMTORIS*, aut *adsertoris* titulo passim in sanctioribus litteris coniungitur. Ita Moses, princeps prophetarum vet. testamenti, de Messia verba faciens (2), interrogando ait: *norme is ipse est PATER tuus, REDEMATOR tuus?* Deuter. XXXII. 6. Ita & apud Esaiam cap. XLIII. 16. ecclesia ifraëlitica, auxilium Messiae anxie implorans, hocce inprimis utitur argumento: *Atqui tu PATER es noster. Nam Abrahamus quidem nescit nos, neque Israël nos cognoscit: tu autem Iehovah TV REDEMATOR es noster, nomine praeditus antiquo* (3).

§. XIII.

matum, ipsum scilicet cacodæmonem, in carne nostra vicit, nosque liberavit e manu inimicorum nostrorum spiritualium; ut supra iam observavimus.

(2) *Mosén loc. cit.* de Messia loqui, exinde cum primis patet, quotam beneficium heic enumerata, quæ Deus ifraëlitarum gentilium exhibuit, *commate 12.* filio Dei in solidum tribuit. *Iehovā solus*, inquit Moses, *nullo cum peregrino Deo, eos dedit.* Atqui hic ipse Iehovah, qui populum deduxit, *Ezri XLIII. 9.* dicitur *angelus Dei*, qui non aliud esse potest, quam angelus *increat⁹*, ipsem̄ scilicet filius Dei. Inegum locum *Deuter. XXXII. 6 - 14.* egregie illustravit *RAMBACHIVS*, in libro germanico: *Christus in Mose, tradit⁹. LXXX. p. 939. seqq.*

(3) Nec dubiam licet, alloquium hocce ecclesiæ ifraëliticæ, quod legitur *Ezr. XLIII. 16.* Christum redemptorem respi-

FATRE AETERNITATIS.

17

§. XIII.

Proinde iure meritoque populus israëliticus, quin totus fidelium cœtus, Christum, REDEMTOREM prorsus eximium, PATEREM suum celebrat. Is enim obicit animam suam morti, multorumque peccata tulit, *Ezai. LIII. 12.* Is carnis & sanguinis nostri factus est particeps, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est diabolum, & liberos redderet eos, qui cuncte metu mortis per omnem vitam obnoxii erant servituti, *Ebr. II. 14, 15.* Is omnibus, in ipsis creditibus confert ius FILIORVM DEI, *Ioan. I. 12.* Is adscitos in familiam suam summo amoris gradu diligit, *Ioan. XV. 9.* iisdem alimenta vita spiritualis spiritualia suppeditat, eos ut pupillam oculi sui, ut sigillum, positum in pectore & brachio suo, contra omnes hostium insultus fortiter protegit, *Zach. II. 5. Cant. VIII. 6.* iisdemque omnes FILIORVM dignitates, quin ipsius haereditatis adeundæ ius concedit clementissime.

§. XIV.

Atque ex his, quæ hactenus differuimus, abunde intelligi potest, quonam sensu CHRISTVS, servator noster, PATRIS nomine in sanctioribus litteris veniat, quin INFANS & PATER simul dicatur. Infans enim, qui nobis est natus, filius, qui nobis est datus, non tantum est filius hominis, sed & filius DEI; est Immanuel, Deus nobiscum; est pater omnium, quos pretioso

C suo

cere, cum ad eum sit directum, qui gentem israëliticam ex Ægypto per mare duxit, Spiritumque suum inter eos misit, vers. 11. cuius haereditaria posseſſio tribus Israëlis, populus sanctus sunt, vers. 17, 18. immo qui Israëlis goēl, seu vindictor est. Quæ quidem omnia in Christo, vel solo, vel ratione maxime emphatica reperiuntur. Ut iam illud haud memoremus, quod nemo populum israëliticum omnesque fidèles, ut suum peculium sibi adſerere valeat, præter Christum.



suo sanguine redemit, atque adfectu plus quam paterno complectitur; est non tantum *pater patriae*, quales principes huius seculi sunt, sed est *pater creaturae universae*, si ad creationem huius universi mentis nostræ oculos convertamus; est *pater omnium hominum*, si respiciamus ad redemptionem, ab ipso praestitam, quæ infiniti est valoris, atque ad omnes omnino homines se se extendit; est *pater fidelium*, si consideremus regenerationem, seu *creationem secundam*, quam Christus per Spiritum suum sanctum, mediante verbo evangeli, perficit. Renati enim sumus non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, nimirum per sermonem viventem Dei, et manentem in sempiternum, 1. Petr. I. 23. Immo renati sumus ad immortalem, impollutam, non marcescentem haereditatem, quæ adseratur in coelis, 1. Petr. I. 3. 4.

§. XV.

Iam vero ut ad alteram commentationis huius theologicæ partem progrediamur, illud quoque consideratione nostra atque attentione omnino dignum est, quod *Christus infans* non tantum sit *pater*, sed & γάρ hoc est, *pater ēternus*, sive *pater ēternitatis*. Ita enim in oraculo nostro Esaiano expressis verbis appellatur. Huc GROTIUS, supra iam nobis notatus, qui oraculum nostrum, a toto orbe christiano, tum veteri, tum novo, de CHRISTO INFANTE iure meritoque intellectum, in alienum detorquere sensum, idque regi *Hiskiae* aptare annis est, in eam descendit sententiam, per PATREM SECVLI eum heic a vate denotari, qui multos post se relikturus fit posteros, et in longum tempus. Verum falsitas huius expositionis tam est manifesta, ut cuivis facile incurrat in oculos, neque adeo operosam requirat probationem. Nemo enim est in litteris ebraicis vel leviter verlatus, qui ignoret, voculam γάρ, quæ in fonte ebraeo legitur, non longum duntaxat tempus, sed ipsam potius aeternitatem denotare (1).

Nec

(1) Vid. *Ezai. LVII. 15.* ubi Deus altissimus dicitur γάρ τον inhabitanτας ἀετernitatem, quæ phrasis plane singularis est, nec ullibi alias in scripturis sanctioribus obvia, denotans, aeternitatem a natura regnoque Dei plane indivulgam esse.

Nec quisquam, qui rem æqua iudicij lance probe expendit, facile negaverit, longe aliud quid significari, quando pater seculi, sive æternitatis adpellatur, quam si dicatur, eundem numerosam problem post se relinquere in longum tempus. Ut iam illud haud urgeamus, quod multos post se relinquere posteros Hiskia regi neutriam fuerit proprium, uti perperam heic supponit GROTIUS, sed potius cum multis commune, quin Adamo, Noacho, Abrahamo, atque innumeris aliis magis, quam Hiskiae conveniat. Et quid opus est multis? Profecto ipsi iudaorum interpretes, quos alias magistros sequitur GROTIUS, oculatores hac in parte fuerunt ipso GROTIO. Agnoverunt enim, nomen ebraicum יְהוָה soli Deo summo proprium esse; licet in eo erraverint, quod oraculum nostrum de DEO PATRE intellexere, cum tamen, ut supra iam monuimus, FILII expressa heic fiat mentio, eidemque patris nomen eo sensu, quem modo indicavimus, ipsa præente scriptura, tribui possit, debeatque.

§. XVI.

Nihil itaque aliud superest, quam ut brevem adhuc instituimus disquisitionem, quoniam sensu Christo infanti paternitas adscribatur AETERNA? In solutione huius questionis ante omnia id notandum, Christum infante dici patrem AETERNITATIS, quoniam, vi sua essentia, est aeternus, eodem sensu, quo Deus dicitur aeternus, AETERNITATE nimurum absoluta, qua initio ac fine desstitutus. De eiusmodi enim patre in oraculo nostro sermo est, qui simul est יְהוָה fortis, ea prædictus vi ac robore, quo ipse sibi subiicere potest omnia, Philipp. III. 21. De eiusmodi infante ac puero loquuntur vates, qui per aeternam a patre generationem, patri est ωνοστος, quemadmodum per generationem ex Maria virgine nobis factus est ωνοστος, cuius egrediones, si divisionem eius spectemus naturam, inde a principio & a diebus seculi sunt, Mich. V. 2. licet, habito respectu ad humanam naturam, in tempore demum existere coepit, atque a Maria virgine in lucem fuerit

C 2

fuerit

fuerit editus. Postquam enim plenum advenit tempus, mihi Deus filium suum ex muliere natum, legique subiectum, ut legi subditos redimeret, utque adoptionem nanciceremur, Gal. IV. 4, 5.

§. XVII.

Atque ex his quæ modo diximus, primum est colligere, infantem, nobis natum, esse vere D I V I N U M , in quo habitet tota divinitatis plenitudo, Coloff. II. 9. Insignitur enim augusto patris aeternitatis titulo, qui nemini, nisi foli Deo supremo aeterno que competit, quidquid miseri iudæorum magistri, itemque Ariani, Photiniani, Sociniani, aliqui, qui ex illis hodie sapere gestunt, plenis & impuris buccis heic ogganniant, quorum futile exceptions parum curandas esse arbitramur. Veneramur potius atque exofulamur testimonia luculenta ac vere aurea veteris ecclesia iudaicae, itemque vetustissimorum interpretum chaldaicorum, qui divinam atque aeternam Messie gloriam olim iam deprædicarunt. Idem quoque nonnullos ex ipsis gentilibus fecisse, nonnulli eruditorum suspiciati sunt. Inde enim ab antiquissimis temporibus traditio invaluit apud gentiles, D E V M aliquando fore puerum, quem etiam novum adpellarunt D E V M (1). Referunt hoc nonnulli inscriptionem maxime memorabilem, a I A N O G R Y T E R O exhibitam (2), quam adprime in Dei filium convenire, ostendere adlaborarunt (3).

§. XVIII.

(1) Vid. die unschuldige Nachrichten von alten und neuen theologischen Sachen ad ann. M D C C I V . p. 383. Ingenui tamen fatemur, pleraque testimonia paganorum hominum de Christo, antequam homo factus est, edita, quæ vulgo recenseri solent, nullam fere fidem mereri, quin omni destitui auctoritate. Huc referimus oracula Sibyllina, quæ libr. I. p. 178. editionis G A L L E I , testimoniū de Christo infante exhibent, itemque versus V I R G I L I I eclog. IV. 4. seqq., in quibus itidem vaticinum de Christo contineri, post E S E B I U M atque A V G U S T I N U M , nonnulli ex recentioribus statuant. Ut alia huius generis plura taceamus.

(2) vid. G R Y T E R I thesaurum inscriptionum romanarum, fol. LXXXVIII.

(3) Non defuerunt tamen viri eruditissimi, qui inscriptionem, quam

PATRE ÆTERNITATIS.

§. XVIII.

Quemadmodum vero ipsem **CHRISTVS**, si effentiam ipsius spectemus, aeternus est, *Ebr. XIII. 8. Rom. VI. 9.* ita & auctor & causa est aeternitatis. Neque enim infrequens id est in sanctioribus litteris, ut *patri* nomine is quoque adpelletur, qui alicuius rei primus auctor est atque origo, *Iob. XXXVIII. 28.* **CHRISTVS** itaque est **PATER ÆTERNITATIS**, quoniam non tantum per ipsum *secula*, & omnia in iis decurrentia, sunt condita, *Ebr. I. 2.* sed etiam quoniam ipse auctor & causa est *beatae aeternitatis*. In ipso enim beata & gloria *aeternitas* electis est *praeparata* ante iacta mundi fundamenta, *Eph. I. 4.* immo per ipsum *aeterna redemptio* fuit inventa, *Ebr. IX. 12.* quæ in se sp̄ecata absolute infiniti atque aeterni ponderis est atque valoris, nec tantum est *temporaria*, uti erant *duces* typica veteris testamenti, sed perpetua & aeterna, infinitis seculorum myriadi bus in altera vita perpetuanda & consummanda.

§. XIX.

Quin eam quoque ob rationem redemptor noster **IESVS CHRISTVS** pater aeternitatis adpellari potest, quoniam inde ab initio usque ad finem mundi, per omnia secula, generat sibi & Deo patri suo *liberos*, *Esai. LIII. 10.* qui eius imaginem gerunt, sanctissimaque eius legunt vestigia; qui vocem divini pastoris non tantum audiunt, sed & eundem tanquam oves sequuntur, ac vel tandem vitæ ac salutis aeternæ per ipsum fiunt participes. Christus enim morte sua cruenta non tantum promeruit nobis

GRYTERVS loc. cit. exhibet, **CHRISTO** infantí minus convenire, sed idoli potius, & quidem HARPOCRATIS memoriam honoremque referre, supicati sunt. vid. **BAVDELOTVM DE DAIRVAL**, in eleganti libro *de l' utilité des voyages, & de l'avantage que la recherche des antiquitez procure aux Savans*, p. 134. seqq. ubi eru dita exstat *commentatio de dis laribus*, eorumque origine et nominibus. Add. **DEYLINGIVM**, *observat. sacrar. part. III. p. 161.*

bis vitam æternam; sed & eandem actu confert omnibus iis, qui in ipsum credunt, atque ad sequelam pastoris optimi magna animi alacritate sese accingunt. Ita enī de iis pronunciat servator: *Oves meae vocem meam audiunt, easque ego novi, & ipsæ me sequuntur. Es iis vitam do sempiternam, nec possunt unquam perire, nec mibi quisquam eas de manu eripuerit.* Ioan. X. 27, 28.

§. XX.

Possimus & alia heic addere, illustrando argumento huic nostra attentione dignissimo, infervientia, nisi ob temporis, quo coarctamur, brevitatem, ad finem huic dissertationi impoñendum vel tandem nobis esset properandum. Missis itaque iis, quæ dici hanc in rem poterant, paucas nonnullas meditationes practicas, ædificationis nostræ infervientes, heic subiungemus. Ostendimus hactenus, infantem Iesum, qui olim inglorius in stabulo iacuit, esse Deum, benedictum in secula, esse PATERM ÆTERNITATIS, qui & ipse æternus est, & beatam, quam omnes anhelamus, æternitatem, pretioso suo sanguine nobis adquisivit. Contemplemur itaque pia devoteaque mente tremendum hoc, & omnium confessione magnum pietatis mysterium, cuius magnitudinem penitus introspicere geslit totus angelorum cœtus, *I. Petr. I. 12.* Quin ita contemplemur ingens, hocce mysterium, ut & summum illum & plus quam paternum, quo PATER ÆTERNITATIS nos complexus est, amorem & humilitatem summam, cui is, carne nostra vestitus, sponte sese involvit, & præstantissima, quæ exinde magna copia emanant, beneficia, cum sancta quadam admiratione, quin & cum latitia quadam spirituali attentius consideremus. Et quidni in gaudia & tripudia spiritualia diffundatur mens nostra, quando recognitus, eum infantem nobis natum, eum filium nobis datum esse, qui omnium gentium est præsidium atque solatium, qui est PATER ÆTERNITATIS, nosque affectu plus quam paterno prosequitur, qui est REDEMOTOR noster,

ster, ab omnibus anxie olim exspectatus, qui e servitute in libertatem, e tenebris in lucem, e morte in vitam nos restituit, qui ex orei fauicibus nos eripuit, aeternaque nobis recuperavit salutem? Eia, exultemus in domino, & canticis angelicis, quae nativitatem divini pueruli, PATER AETERNITATIS, suavissimo concentu celebrant atque evehunt, nostra quoque cantica, nostras quoque voces imitfceamus, quin immortali gratiarum laudum que nunquam finiendarum actione eundem iugiter prosequamur.

§. XXI.


Id quoque serio agamus, ut divinum, quem celebramus atque adoramus INFANTEM, qui simul PATER AETERNITATIS est, dignis modis excipiamus, & quidem excipiamus eundem vera fide, utque hac ratione filii tanti PATRIS evadamus. Ipsem enim nobis acclamat: dum lucem habetis, credite in lucem, ut lucis evadatis filii, Ioan. XII. 36. In lucem autem credere, quid quofo aliud est, quam in CHRISTVM servatorem credere? Ipsem enim servator mox subiungit: ego lux in mundum veni, ut quisquis in me crediderit, non maneat in tenebris, Ioann. XII. 46. Dissipatis itaque ignorantiae ac pravarum cupiditatum tenebris, ambulemus in luce, tanquam filii lucis, atque genuinam PATRIS nostri, qui vera lux est, imaginem ubique & omni modo exprimamus. Quenadmodum enim generans sibi simile generat, secundum illud HORATII:


fortes creantur fortibus et bonis,
- - - Nec imbellem feroce
progenerant aquilae columbam;

ita impossibile prorsus est, eos servatoris, qui uti sol iustitiae in orbem prodidit, filios esse, qui tenebras magis amant, quam lucem; impossibile est, eos filios esse PATRIS AETERNITATIS, qui eaducis huius mundi rebus toti inhiant, eaque, quae ad beatam

beatam spectant æternitatem, penitus negligunt. Alia longe est ratio filiorum Dei, qui a Christo, **PATRE AETERNITATIS**, non carnali, sed spirituali modo geniti sunt. Hi enim ipsius naturæ Christi sunt participes, *santique sunt, sicut ipse sanctus est*, *1. Petr. I. 16.* hi in luce versantur, ut *ipse in luce est*, *1. Ioan. I. 7.* hi virtutes, quas in divino parente salutisque principe conspicunt, imitari, omnibus amittuntur viribus, adeoque re ipsa offendunt, se filios esse tanto patre dignos, *1. Ioan. III. 10.* O felices nos, & terque quaterque beatos, si ita nos dignos geramus eximio, quo gaudemus, filiationis iure, nec quidquam committamus, quod tam divinum honorem nostrum ulla contaminare queat ratione. Ita erimus genuini **PATRIS AETERNITATIS** filii, quos ardentissimo & plus quam paterno amore iugiter complectitur, quos curæ cordique habet, quos protegit, & quibus in orbe hoc misero ac maligno omnia ad bonum cooperantur. Erimus principes, reliquis mortalibus præstantiores. Erimus reges spirituales, satanam sub pedibus conculcaturi, mundum aliquando iudicaturi, mortemque ipsam triumphaturi. Quin erimus hæredes, haeredes inquam *Dei*, *Christi autem cohaeredes, quibus immortalis, impolluta et invicta haereditas resposita est in coelis,* *1. Petr. I. 4.*







01 A 6554

ULB Halle
002 931 222

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Inches
Centimetres

COMMENTATIO THEOLOGICA

DE

CHRISTO INFANTE
PATRE
ÆTERNITATIS

ad *Ezai. IX. 6.*

QVAM

PRÆSIDE

IO. FRIDERICO COTTA

S. THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD. ECCLES.

TVBING. DECANO ATQVE DVCALIS SEMINARII THEOL.

SVPERINTENDENTE

D. DECEMBER. MDCLXIII.

PVBLINE DEFENDENT

M. IO. GEORG. HÆRLIN, *Hechingensis*,

M. IO. FRID. ENSLIN, *Stuttgard.*

S. THEOL. CVLTORES SERENISS. STIPENDIARII ATQVE
EXAMINIS THEOLOG. CANDIDATI.

T V B I N G Æ

LITERIS COTTÆ ET REVSH.

